

58



7C1858

1.  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18



DE  
SCHOLA SANCTA  
PROLVVSIO  
ORATIONVM


IN  
GYMNASIO HALLENSI EVANGEL. LVTHERANO

A. D. IV. IAN. MDCCCLXIV.

H A B E N D A R V M

ADHIBITA

A  
M. IOANNE PETRO MILLERO  
RECTORE.



HALLAE MAGDEB.  
LITTERIS GEBAVERIANIS.





HABENDAE  
ADHIBITA  
uum earum rerum singulis, quae ad cultum DEI pertine-  
rent, vel ut verius enuntiem, ad amplitudinem et dignita-  
tem ecclesiae facere ullo modo viderentur, divinitatis at-  
que sanctitatis adeo, insignem opinionem impresserit lati-  
sime patens illa, quae ex Romana lege rem divinam facit  
in orbe christiano familia; qui vero ab hac sacram disces-  
sionem fecerunt, cum multa ritus morisque antiqui, ubi

sapienter illud utiliterque factum fuerit, retinerent et pie sancteque habenda in-  
stituta ea omnia decernerent, sine quibus publicis religionibus minus sua digni-  
tas augusta constaret: mirandum est, qui solam rem scholasticam, quique huic  
uni omnium gravissimo negotio procurando publice praefecti sunt, quasi quamdam  
appendiculam reliquo sacrarum rerum atque hominum ordini atrexisse videantur.  
Istam vero decantatam toties in umbris nostris querelam dum hic repeto, an ve-  
rendum fortassis mihi erit, ne hominibus emunctioris neris scholasticae, quae di-  
citur, umbratilisque vanitatis ostentationisque in hac chartula aliquid suboleat at-  
que assurgere ex suo pulvere audacius aliquantulum, quam pro fortuna sua, ho-  
mo illis videatur, quem minime omnium altos spiritus magno suo commodo sum-  
fisse sibi hucusque arbitrentur? scilicet acerrimi delicatissimi que fastidii homines,  
qui e longinquo jam quos spiratura sit haec disputatio superbos sensus odorentur,  
et indicta causa hominem censeant alti supercilii damnandum, quem ultra scho-  
lam sciant suam huc usque parum sapuisse, mediocriter saltem sapuisse, sed de se  
potius et reculis inest et mirifica in utramque partem ad sectendos hominum mode-  
randosque animos in populari opinione vis: ita optimo cuique excusatus peccatu-  
ri fuisse R. Pontificis asseclae videbuntur, quodsi, dum in unam partem in tanta  
humani ingenii lubricitate peccandum esset, hanc, quam facellis, ligneis imagi-  
nibus, sanctorum hominum ossibus, amictus pristini lacinii et rebus multo vi-  
lioribus sanctitatis religionem indiderunt, scholis, pueris christianis, eorum do-  
ctori-

storibus, institutioni aetatis huius ipsi reliquisque omnibus, quae ad formandam sancte pubem hanc in spes publicas aeternasque succrescentem pertinent, tribuendam exillimasset; non quod aetas juvenilis ipsa, aut qui in illa ornanda occupatur, doctorum coetus, aut denique ipse locus coli religiose debuissent; nemo enim sanus hoc dixerit: sed quo augustior, altior, diviniorque haec omnis educandae folobis cura et procuratio cum primum parentibus et praeceptoribus, tum vero etiam ipsis civitatum rectoribus videatur. Lacedaemone certe novimus Xenophontis et Plutarchi fide, hanc ipsam ob rem si minus nomine, at re tamen sacram fuisse habitam juventutem, quod ea reip. propria esse universim credebatur et apud Perfas etiam piaculo rem dignam habitam, quodsi puerilem quis animum quadam turpitudine laesisset: quidni et olim religiosius castiusque tractatam fuisse et nunc etiam in populari consuetudine tractatum iri hanc aetatem censeremus, quodsi haec intimis pectorum sensibus infixata inhaereret opinio, sacrilegii instar esse, puerilem animum vel dicto aliquo, vel specie vel opere parum verecundo aut sancto corrumpere? Vanas quidem et vulgares superstitiones malorum maximorum non privatorum modo, sed publicorum etiam disseminatrices esse non ignoro. Idem tamen existimo, hanc unam parem damno utilitatem civitati sacrae allaturam fuisse facillimeque quidquid in plebeja opinione falsi inesset, ad veritatem potuisse transferri. Sed quod ceremoniis ritibusque religiosis effici fortasse in plebe potuisset, quodsi iis rem scholasticam illi olim sacrae pompae in aula Pontificis architecti exornavissent; id multo sapientius atque tutius etiam speramus gravi hac et vera disputatione iri obtentum, quae a nobis *de scholarum sanctitate*, ut brevissime poterit, instituetur.

Jam, ut ab hoc ordiar, quid *sanctum* sit, putant se scire omnes. Quoniam vero inconsflans est vocis huius et vagus in vulgari sermone sensus, coerebimus illum et ad ea augustum verbum adstringemus, quae ad DEVM O. M. propius pertinent, sive ab ipsa hac principe omnium excellentissimaque natura solenni ritu singularique ratione mandata hominibus, tamquam a summo rege, et commendata sint; sive circa Deum, tamquam suum, ut philosophi enuntiant, proximum objectum versentur, atque adeo ipsi sacra, peculiaria et tamquam illi cultuique ipsius propria ac dedicata; sive denique ad exemplum absolutissimae perfectissimaeque virtutis illius curatius sint expressa. Ex quo quidem sanctitatis vario diversoque genere sanctae appellatae sunt suo jure cum primis veritates illae, quae ad fidem et pietatem christianam pertinent moderandam stabiliendamque, quarumque ex ipsa divina mente aeternoque consilio petendae sunt origines; tum vero omnia, quibus rectus de DEO sensus, religionis publicus cultus et in hoc caste sancteque obeundo ceremoniae, absolvuntur; homines praeterea pii omnes, qui totos sese suaque omnia DEO ejusque consiliis religiosissime exsequendis emancipaverunt; ex ultimo denique genere omnis illa cum ipsorum animorum, tum eorum omnium, quae ab his proficiuntur affectio sacrosancta dudum solet et rectissime quidem, appellari, quae efficit, ut et de rebus divinis sententia, et vitae adhuc magis actio omnis ex divina revelatione ducatur, ad DEVM vero non modo tamquam ad exemplum, sed etiam tamquam ad scopum et finem referatur, existatque illa in humano genere sapientia ac virtus, qua altior nulla, exsistat, verior, aut constantior ab humanis viribus proficisci posse intelligitur. Ur varia vero vocis omnium sermone tritissimae potestas haec, quam oculis mox subjeci, videri possit, communis vero haec est intelligenda, ut, quum *sanctitatem* scholis vindico suam, non alia sentiat, quam singulari eximiaque profus ratio-



ne formandarum ad omne verum decus puerilium mentium curam ad DEVM referri ita debere, ut et ejus gloriae in eo negotio promovendae princeps et una habeatur ratio, et conjungendorum iterum cum eo juvenilium animorum cura constans et casta et indefessa agatur, et adeo ea omnia religiosissime tractentur, quae debent ad utrumque hunc finem obtinendum in puerili institutione fide omni a nobis praestari. Quae ut cordatiorum nemini obscura sunt: non est tamen committendum, ut ceteri id vel prorsus non, vel male aut non recte omnino intelligant. Transferamus itaque, quae summam dicta sunt, jam ad singula aut potius praecipua.

Et primum quidem ab his, qui quasi sacra quaedam materia in scholis tractantur varie, et ad divinitatis decus perpoliendi sunt, IVVENIBVS ipsis nostra ordiatur disputatio. Hos dum sacros dico, facere id video posse et vere et recte, propterea quod omnis olim frugum terrae flos et primitiae, tamquam id, quod in natura omni praestantissimum esset, singulari formula et jure DEO fuerit dedicatum. Ut enim hoc in tanta naturae humanae malignitate nihil fuerit, quanti, amabo te, hoc non est, tradi praeceptorum agmen, quod et recens sit a praesente Christo in Baptismo sacramenti fide, et quos inter multo plures, quam inter adultiores sunt, qui istam fidem salvam castamque servaverint? Quotus enim piorum virorum quisque est, qui intuens puerulorum nostrorum gregem aliquem non abunde laetetur, quique haec sibi ipse laetus et agens DEO gratias non repetat: hi vero, quae humanum genus inquinant viriorum pestes, ne de nomine quidem norunt! Integri, innocentes inviolatique ut animo, ita corpore eo modo sunt, ut non sanctiorem purioremque a labe omni hostiam DEVS requisiverit. Vos vero, qui haec sacra pectora voce et exemplo flectitis et mulcetis, videte, ut beatam hanc ignorantiam teneant, et quorum mentes rasae tabulae similes sint, in his nulla alia quam Christi sacrosancta forma et imago describatur. Quos si igitur, ut debetis, ita amatis, providete quanta maxima cura poteritis, ne qua ulla impietatis vel speciei vel sensus tam cara pectora, sanctissimi Spiritus domicilia corrumpat aut violet, sacrosque eos esse et DEO dedicatos, quotiescumque intueamini hos, mementote. Quos adeo vel dicto inconsideratius, vel quodam facto inhonestius polluere, violare, inquinare aut corrumpere, id sacrilegum vobis esto! Heus tu, quisquis es, adverte, inverecunde quid vel dicturus, vel acturus,

*Maxima debetur puero reverentia. Si quid  
Turpe paras, ne tu pueri contemseris annos,  
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.*

IVVEN. Sat. 14. v. 47.

immo vero obsistat ille reverentiae pietatisque, quae CHRISTI, cui is recens dedicatus est, numini majestatique debetur, monitor, cuique ipse olim puer religiose nomen dedisti. Ridentur haec de facta ad lufus aetate dicta gravius, quam fert popularis opinio. Sed ut rideantur, nostra facit in tractanda hac aetate stultissima levitas, quam non opus est, hic multis depingere, quod se ipsa satis prodit, et novi multos suo jure et bono beatos cum parentibus tum praecceptores, qui dum puerulos suos idemidem DEO et Christo proprios cogitaverint, mirifice sese in sanctissimo educandi negotio adjutos sensissent et jam magis adhuc eventu ipso adjutos recreatosque sentiant.

Spectata materia, in qua formanda exornandaque versatur omnis parentum scholasticorumque doctorum, quotquot eorum sapientes et pii sunt, industria,

proxi-



proximum est, ut de FINE et scopo, ad quem collineare debent consilia, curas et labores suos omnes, breviter strictimque agamus. Is vero et pueros ipsos, et ad remp. et denique ad ipsum DEVM pertinet; quibus quidem finibus propofitis non video, quid esse sanctius cogitarique queat. Et mentium quidem perennium nullaque concretionē mortali affectarum ipsa perennatura et immortalis illa futura felicitas quaeso te, quam magna et augusta res! De republica, cui ingenii luminibus illustrandae commodisque omnibus adjuvandae ac amplificandae optime cives instrui disciplina puerili debent, quam elate et magnifice post Platonem sensit Cicero in divino suo prorsus de somnio Scipionis libello! Annon nosti illa de caelo veritus, quam de Africani ore delapsa? *Nihil est illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur, harum rectores et conservatores hinc profecti, huc (in coelum) revertuntur.* DEO autem cultores efficere et ex humano genere deligere quasi, quam augusta, quam sancta cura! Miramur illud et amamus praeclare pieque dictum a Plutarcho: *ὁ δὲ τεκοῦσιαιδης, ὁ δὲ γὰρ ἀντιματαλπῶν τὴν θεοῦ γαστέρας τὸν θεόν.* Quod si verò sanctum et religiosum esse debet, gignere, qui ad colendum DEVM apti aliquando sint; quanto majus, hos reddere et praestare? Jam vero ad DEVM, qui ipse est bonorum reliquorum extremum et ultimum, qua alia, nisi Sapientiae et Pietatis sacrosancta quasi manu adducuntur juvenes? Hunc enim cognoscere, cognitum vero venerari pie et caste et imitari multo magis debent, quo digni videantur ipsi, quos tamquam suae virtutis similes et merito sibi carissimos gradatim jubeat ad tantae majestatis beatitudinisque fastigium ascendere. Est autem ea virtutis a Christo descriptae perfectio et tam late se illa fundit, ut numquam ad eam asurrecturus sit humanus animus, nisi inde se a teneris in illa colenda consuetudine assidue atque constanter exercuerit. Jam, quos summis in rep. muneribus regisque aliquando rebus gerendis admotum iri generosos animos praevidemus, horum vel infantiam et pueritiam nescio qua reverentia solemus amplexari ac fovere: quibus, vero sanctissimus Servator aliquando usus est ad bene humano generi faciendum, ad pietatem sapientia sua et exemplo quam plurimis commendandam, orbem vero probitate eorum, justitia, abstinentia, quasi quibusdam luminibus exornandum, hos videlicet tamquam vilem abjectamque materiam impune negligemus, aspernabimur, vitiorum peste in scholis corruptum aut impune infici ab aliis patiemur?

Quae praeter haec qualisque ipsa scholarum DISCIPLINA, quantaque ipsius sanctitas esse debeat, tertio est a nobis loco videndum. Ea vero et ad literas, quibus illa aetas imbuitur, et ad mores spectat. Et de artibus quidem rebusque discendis multa sunt a multis in omnem partem dudum disputata et plura adhuc utiliter sapienterque possunt disputari. Hic vero nobis eorum maxime est notandus sive error, sive fastus, qui vilia haec, parva et humilia appellant, quae in nostris subfelliis traduntur, alta, quae in Universitatibus enarrantur. Qui si hoc sibi volunt, quod, quae subtilius disputantur altosque recessus habent, non nisi ab ingenii bene praeparatis subactisque percipi queant, recte praecipunt; at in eo tamen est insignis multorum coarguenda stultitia, quod ea ut levia ac futilia contemnunt, quae facile a maturis ingenii percipiuntur, quamquam sine his parvis magna esse non possunt. Jam si saperent, disciplinae alicujus magnitudinem non ex ejus aut obscuritate, subtilitate aut amplitudine, sed potius ex illius ad humanae vitae felicitatem promovendam necessitate atque utilitate metirentur et ut quaque earum incommodissime careamus, ita illi maximum pretium statuendum



dum existimarent. Ex hoc enim trivialium disciplinarum contemptu cum graves multi, tum hi potissimum perniciosissimi errores fluxerunt, unus ille, quod summa praestantissimaque ingenia, id est ea, quae sola efficacissimam medicinam morbis scholarum adferre possent, indignum sua altitudine censeant, ad scholarum sese umbras demittere et in has tenebras lucem transferre. Quo magis laetari optimum quemque accepto hoc nuntio fas est, sacrae huic curae in vicina Saxonia publice esse praefectum decus et fidus illud reip. evangelicae, ERNESTIVM. Proximum huic, quod dixi, vitium est, quod isto vulgari disciplinarum scholasticarum contemptu insigniter ad suam ignaviam excusandam abutitur hominum ordinis mei turpissime otiosorum turba. Nam ut vix fuerit aliquis melioris notae textor aut seriniarius, qui dum vacat ipsi ab opere diurno aliquantulum, non cogitet de novo aliquo artis suae vel adminiculo, vel ornamento: ita contra videas eorum nonnullos, quibus dedicatae Christo mentes commendatae sint divinitus, jam turpi otio torpere, jam per urbis vicos otiosos magna honorum offensione discursare, jam circulos fordide obscurorum frequentare et faeci civitatis misceri et de alia omni magis re, quam litteris scholasticis, earumque tradendarum meliori ratione excogitanda sollicitos. Quorum aliquem officii sui moniturus, quodsi e somno suo his et aliis velis excitare: Heus tu, miser, an plane non de Grammatica tua, aut Catechismo cogitas? Prorsus non, ait. Ecquid enim? Visne, ut vir ab academico stadio cum pueris his reperascam meis? Teneo, teneo, mihi crede, totam Grammaticam ad unguem. Bene, inquam. At nostine, nutriculas eosdem cibos non una omnibus puerulis ratione ingerere solere, sed miram esse earum mulierularum in tractandis corporibus animisque solertiam, quam multo magis tu, si religiose tuum longe sanctius munus obire velles, adhibere deberes? Scio vero ait, at quodnam tam ignobili operae pretium est futurum? Tutius et commodius trita a maioribus via eamus, neque enim metuendum est, ne pueri mei intelligant, sapientius secum agi debere. Interim mihi in ista, quam vocas, ignavia, beatissimus videor, tibi ceterisque, qui ultra vulgus praeceptorum sapere audent, hunc, qualis qualis est, honorem numquam invidebo.

Sed mittamus malae causae bellum hunc scilicet defensorem, de moribus, id enim restat, ad praecepta exemplaue optima conformandis, dicturi. At quoniam hoc omnium gravissimum scholasticae disciplinae momentum totum in fide et sanctitate praeceptorum est positum, euge, statim ad hos ipsos accedemus. Utinam vero hoc iis ad unum omnibus, quibus fingendi traduntur juveniles animi, persuaderi aequae oratione et argumentis possit, atque probabile ipsa populari sententia videtur esse! Ex hoc enim illud est, ut qui in se ebrietatem, incontinentiam, avaritiam, inhonestas rei faciendae artes, odia, rixas et quae sunt id genus vitiorum alia, turpitudine carere existimant, non ferenda tamen clamitent in divinae humanaeque sapientiae doctoribus, sed divinas humanasque poenas sollicitent, quodsi **BAVDIVM** aliquem instabili gressu per urbis vicos vacillare, **ROBORTELLVM** cum **SIGONIO** odiosis inter se altercationibus confictari etiam ad gladios usque, **SCIOPIVM** canis instar obvios quosque allatrare, **SYLVIVM** numos vel pauperrimis insatiabili auri cupiditate extorquere, **PASCHASIVM** aleatoria arte eos aucupari, alios vero aliis vitiis publice se emancipare videant. Quae quidem communis constansque de eximia et singulari eorum honestate, qui adolescentibus ad veram sapientiam ac virtutem viae duces dati sunt, opinio, in tantum non est contemnenda, in quantum ipsa naturae et  
sanae



sanae rationis vox intelligatur esse censerique. Quam in rem multa ita gravi-  
 ter et praecire dicta sunt a **QVINCTILIANO**, ut pudeat fere, ea repetere,  
 quae ita manifeste multos christianos doctores impietatis suae et supinae turpi-  
 tudinis coarguant. Quaeso enim te, quantivis pretii aurea illa! (II. 2) *Prac-*  
*ceptor nec habet vitia, nec ferat. . . . Plurimus ei de honesto ac bono fit sermo.*  
 Quid? an multi inter nos Julii Genitoris praesentiam sine rubore ferrent, viri  
 emendati et gravis, quem cum **PLINIUS** Secundus (I. 3) Cornelliae Hispullae  
 filio dicendi artis magistrum dari perciperet, non est veritus, sponsorem se pro  
 illo dare. Fuit autem is Genitor eius disciplinae praceptor, quae, ut tunc erant  
 Romae tempora, libidinum potius magistra et adjuvix, quam sapientiae et virtu-  
 tis commendatrix et ministra esset. In quibus contra tradendis christianis scho-  
 lae doctor publice versatur, ea magnam vim habent ad animum sanctis castisque  
 sensibus perfundendum. Et ut taceam communia pietatis incitamenta, quae ma-  
 xima et efficacissima nemo ignorat esse, saepe mecum soleo illud cogitare, quam  
 vanae sint multorum de contentu scholastici doctoris querelae. Nam si alicujus  
 animus supra vulgarem probitatem assurgat et si tota ipsius publica privataque  
 vita singulari in **DEVM** pietate, morum gravitate, sapientia et constantia inter  
 ceteros, qui se ipsos abjiciunt, ordinis sui homines exsplendescat: tum et pue-  
 ros illius adpectu eximia quadam reverentia flecti percelleque videas et ut quis-  
 que in ea civitate a virtute se civibus commendaverit, ita hunc nostrum ca-  
 rum inprimis habere et colere, parentes vero amare illud sanctum pectus et gau-  
 dere de puerulorum suorum felicitate, hortarique hos, ut quam simillimi opti-  
 mi praceptoris evadere enitantur. Rursus vero in quorum vita et moribus in-  
 signis aliqua macula insideat, hos annon cernis, contentim haberi, praetereun-  
 tes etiam digito monstrari et tamquam publicae religionis corruptores com-  
 muni et optimi ejusque et ipsorum malorum odio pertinacissimo laborare?  
 Putant enim et recte putant, in ista quotidiana consuetudine ex hoc in mollia  
 pectora vitia transire et per pueros in ipsam civitatem sensim transfundi. Nec  
 vanus profecto metus! Proximis enim omne, ut elegantissime **SENECA** ait,  
 quod tenerum est, applicatur, et arbusculorum instar, ad eorum similitudinem  
 crescit. Et, si ex sanctissimi viri virtutis omnis contubernio ac disciplina vi-  
 deamus juvenes perditissimae vitae prodire: annon verendum est, ne et ipsi boni  
 et adolescentes frugi ex eorum officina depravati corruptique prodituri sint,  
 quorum non sermo magis et exemplum, quam ipse spiritus pestilens haberi  
 debet? Ut sunt enim, (utur enim hoc uno) in veterum libellis et poeticis iis  
 maxime, quibus ad ornandum perpoliendumque ingenium haud facile caremus,  
 quae parum verecunde enuntiata sint: ita sit, ut is, qui non praesens in schola  
**DEI** et **CHRISTI** numen veretur, praceptor, in inquinato ejusmodi et  
 lubrico loco facile vel castissimas mentes labe aliqua conspurcet. Et peccat in  
 tanto gravius, quanto suaviori lenocinio plerumque solet hoc praceptorum ge-  
 nus a gravitate morumque severitate abhorrentium ingenio festivo et totius  
 actionis quodam lepore sua omnia, et vitia adeo etiam commendare. Quibus  
 cum delectari mirifice soleat incauta illa et imprudens aetas, non est miran-  
 dum, saluberrima praecpta nihil proficere. Adde, hunc, qui ipse nullo **DEI**  
 amore, nullo aeternae cum eo communionis desiderio sit accensus, frigide et  
 jejune de rebus divinis praecipere oportere: tum vero non intelligo, unde ille  
 ardor pietatis exurgere in mentibus possit. De **FIDE** denique, qua obeun-  
 dum est si ullum aliud, certe scholasticum munus, non est, quod multis adhuc  
 osten-



ostendam, eam omnino in iis frigescere, qui non totos sese totamque vitam DEO consecravissent.

Proximum est, ut ipsa gymnasia, in quibus scholasticus exercitus ad omnem virtutem colendam exercetur, sancte haberi servarique debere demonstrarem et, in quibus unum honestis artibus est proprium domicilium, ab his omnes oblectationes, digladiationes, jurgia, contentiones, dolos, offensiones, comestationes, ludos aleatorios inhonestas item esse arcendas illiberalesque artes, quibus vel quaestus turpior quaeratur, vel foeda voluptas, vel quidquid aliud a christiana sanctitate et honestate morum abhorreat. Sed brevius, quam haec a me disputari queant, excitato supra a me loco JUVENALIS cecinit:

*Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,  
Intra quae puer est.*

et puer, adde, maxime CHRISTO a teneris initiatus. Haec vero quorundam breviter, ut debui, a me disputata sint, nemo non, nisi insigniter excors aut obduratus etiam ad omnia saniora consilia, intelliget. Et monere primum me ipsum volui officii mei, qua fieri a me potest, religione maxima constantissime obeundi, deinde vero reliquos omnes, qui a CHRISTO pastore gregis sui, huic gravissimo sanctissimoque muneri sunt praefecti. Interest vero etiam reip., moneri hos molliter et reverenter sui officii, qui solent ad scholas, tamquam ad carceres haud raro detrudere rudia, agrestia et ignava ingenia, quae scilicet religio erat rusticis pastores dare. Quasi vero, quod inertes malique medici putant, in scholastica pube, tamquam in *vili anima* levius ab istis Margitis peccetur. Commonefaciendi tamen ad extremum, sed leniter, et illi erroris sunt, qui, quae de scholarum sanctitate graviter recteque dicuntur, ea severius ita interpretantur, ac si nihil juvenili levitati dandum veniae sit. Nam si arceri deberent ab his locis sanctis omnes illi, in quorum moribus non senilis illa christiana sanctitas mox exsplenderet, commissuri essemus, ut hi ipsi, qui maxime custode pio indigent, sine hoc libere palantium ovium instar extra scholas vagarentur.

Sed hoc satis fuerit abundeque dictum ad audientiam faciendam cras ab h. II. cum

JO. GODOFR. SEIDEWIZIO Saxoni, francogallico sermone ostensuro bene de ejus virtute esse sperandum, qui male agendi vitare occasiones masculae coeperit, et item

JO. JAC. NETTELBLADTIO, Rostoch. *beatum et gloriosum pii sapientisque hominis ex vita discessum* descripturo; tum etiam mihi ipsi de *beatissimo* dependentiae nostrae a DEO, in malis cum publicis, tum *cujusque* privatis sensu disputaturo.

---

P. P. in Gymn. Hall. a. d. III. Jan. MDCCCLXIV.



VDB





10

DE  
SCHOLA SANCTA  
PROLVVSIO  
ORATIONVM  
IN  
GYMNASIO HALLENSI EVANGEL. LVThERANO  
A. D. IV. IAN. cDcCLXIV.  
H A B E N D A R V M

M. IC

